

Z

RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIENSIS  
MEMORIAM  
INSTAVRATAE RELIGIONIS  
EVANGELICAE  
ORATIONE ANNIVERSARIA

DIE XXXI MENSIS OCTOBris A. D. MDCCLXCV

IN AEDĒ PAVLINA  
PIE RECOLENDAM

INDICIT

---

SPICILEGIUM XX.

*Autographorum, illustrantium rationem, quae intercessit Erasmo  
Roterdamo cum aulis et hominibus aei sui praecipuis  
omnique republica.*

Я О Т О Я  
а г а м и ч е с к и х  
— т а р я ч о в и н  
г и с о в и т с в о и м у ч и т ц и  
в а з и т с в о и

а т а в а с т и ч е с к и х

а т а в а с т и ч е с к и х

а т а в а с т и ч е с к и х

а т а в а с т и ч е с к и х

а т а в а с т и ч е с к и х

а т а в а с т и ч е с к и х

а т а в а с т и ч е с к и х

а т а в а с т и ч е с к и х

а т а в а с т и ч е с к и х

D. JOANNIS à BOTZHEIM,<sup>1)</sup>

Canonici Constantiensis,

Epistolae septem, AA. 1529. 1530. 1531. et 1534.

ad Erasnum datae,

ex Autogr.

**I**n epistola prima, quam dedit ad Erasnum, ex Vberlinga, d. 8. Martii A. 1529., (v. Index h. a. n. 7.) loquitur de Vtenhouio quodam; de meliori Erasmi commorationis loco; de Benedicto quodam, Venetiis reduce; de Erasmi apologiis et rixis; de rebus Basileensibus turbatis; de se ipso, etc. De Vtenhouio et Benedicto vid. adnot. 2. et 4. ad hanc epistolam.

S. P. Nusquam apparuit Gandaus ille, de quo scribis, Vtenhouius,<sup>2)</sup> cuius amicitiam, tua commendatione iucundiores, cu-

A 2 piebam

1) De hoc Viro, quem magni fecit Erasmus, vid. Spicil. XIX., vbi octo eius epistole ex autogr. editae legi possunt, quas scriptis annis 1523. 1524. 1525. 1526. et 1527. Cur omnes reliquae, nunc primum ex autogr. publicandae, epistolae, datae sicut ex Vberlinga, vid. adnot. 8. ad primam epistolam.

2) Carolus Veenhouius, cuius pater Nicoleus Veenhouius, mense Febr. a. 1527. Gandaui mortuus, ab Erasmo admodum laudatus atque Epitaphio latino et graeco ornatus, principali totius Flandriae concilio praefederat, Caroli V. Imp. iussu et auctoritate. Vid. Erasmi epistolae T. III. Opp. Sweerii Athenae belgi-  
cae,

piebam aude. Vtinam tibi contingat locus, vbiubi vel migrans,<sup>3)</sup> vel manferis, salutaris, et in eolumitati tuae, et studiis tuis commodissimus! Benedictus<sup>4)</sup> rediit a Venetiis, quem de ludo Carnis priuiali,<sup>5)</sup> Venetiis habito, peruestiga. Per hunc, si venierit ad te, promissas apologetias exspecto. Crucior ego, te cruciari rixis huiusmodi, et grauiora negligere. De Episcopis et caeteris, quibus me certiorem putabas reddi a Gandauo, nihil intellexi. Sed cuperem aliquid eiusmodi scire, quod per Benedictum<sup>6)</sup> secure poteris, si voles, significare, nam is recta a Basilea me adibit. De rebus Basileensibus turbatis<sup>7)</sup> diu sperabam me tamen aliquid certi intellecturum; sed hactenus non licuit, nec te puto de similibus libenter scribere. De perseuerantia meae in te amicitiae id tibi persuade, quantum ad me attinet, vt prius optem mortem mihi propinquam, quam obseruantiam sinceram in te meam abiicere, seu potius frigide custodire. Ego hic haereo, rebus nostris ad interi-

tum

ca; , Andreae bibliotheca belgica, etc. Carolus Vtenbouius, de quo Botzhermus loquitur in hac epistola, erat iuuenis domestico coniuictu eo- que diutino cognitus penitusque perspectus Erasmo, qui eum in Italiā iter facientem his verbis Petro Bembo d. 22. Febr. a. 1528. commendabat: „Nilib illo compperi mul- ris annis ficerius, modestius, aut ami- co amicus;“ postea vero a. 1533. in epistola ad Vigiliū Zuichemum vo- tabat „iuuenem bene natum, sed pa- rum eruditum, ac ne studiosum qui- dem.“ Vid. Erasmi epistolae T. III. Opp. editae. Doctior et celebrior euasit filius, Carolus Vtenbouius, Gandaui a. 1536. natus, Coloniae a. 1600. mortuus, de quo vid. An-

dreae biblioth. belg., Sweertii Athenaei belg. etc.

3) Migravit Erasmus hoc ipso anno 1529. Friburgum, propter tumultum ciuium Basileensem, Iconoclastarum. Vid. quae dicta sunt ad Herm. Comitis à Nuenare epistolam, a. 1529. ad Erasmum dataim, et in Spicil. XV. ex autogr. editam, adnot. 1. 3. 4.

4) Benedictus fuit bibliopola Basi- leensis, de quo vid. Botzkemi epistola XI. Cal. Nouembr. a. 1526. ad Erasmus data, et in Spicil. XIX. ex autogr. edita. Conf. Erasmi epist. 662. T. III. Opp. p. 775.

5) Carnevale Itali vocant.

6) Vid. n. 4.

7) Vid. n. 3.

tum procliviis; ni tandem tumultus illi <sup>8)</sup> redigantur in ordinem;  
actum est de nobis. Christus sua solita clementia dignetur afflatis  
succurrere rebus. Vale. Ex Vberlinga, 8. Martii, 1529.

Tuus, si quisquam alias,

Ioannes Botzhermus.

Dubitabat Benedictus, an Basileam esset nunc venturus. Si  
nundinae Francfordenses satisfacient, non veniet. Modo tum per  
alium certum nuntium, vtcunque oblatum, scribes.

Omnibus numeris absoluto Theologo, eidemque bonarum  
litterarum Vindici primario, Domino Erasmo Roterodamo, pa-  
tronu et praeceptoru obseruandissimo,

Basileae.

(*Sigillum integrum.*)

In epistola secunda, data ex Vberlingen, exilii specu, d.  
20. Augusti A. 1529, (v. Index h. a. n. 18.) dicit Botzhermus  
de litteris nullis Friburgo acceptis, fidem suam Erasmo pro-  
bans contra suspicionem; de rebus *Caroli V. Caesaris*, Re-  
gumque *Galliae* et *Angliae*; de sua spe; de litteris futuris.

S. Verisimile est, Amplissime Patrone, Botzhermi memori-  
am apud te prorsus euanuisse, qui nihil litterarum a te receperim e  
Friburgo, quam diu illic egeris.<sup>9)</sup> An vero non nihil maleuolen-

A 2

tiae

8) Propter tumultus illos, cum  
reformatione ecclesiae Constantien-  
sis coniunctos, Episcopus *Hugo I.*  
de Landenberg et Capitulares, reli-  
cta *Constantia*, contulerant se *Vber-*  
*lingam* anno 1527, quam ob cauflum  
epistolam hanc et sequentes omnes

Botzhermus scripsit *Vberlingae*; quae  
est libera Imperii R. Germ. civitas,  
ad lacum Constantensem seu Poda-  
micum (Germ. Bodensee) sita in Cir-  
culo Suelico.

9) Vid. n. 3.

iae in me conceperis, scire non possum; certus, me mihi conscientum non esse alicuius occasionis praestitae. Nihil enim vel gratius, vel antiquius apud me, vel Erasmi nomine; nec inde me divellent, quotquot sunt, et Suffraganeorum, et Monachorum, et Sophistarum, legiones amusae. Hic cohibeo calami libertatem. Nouus rumor heri ad nos aduolauit e Tridento, ex Apollinis oraculo depromptus, certo certius esse, Caesarem Carolum septimo die Augusti in Italia portum contigisse Monaci, et proximo inde die Genuam ingressum esse, plusquam Caefareo comitatu, ieiunio pacis foedus (quod faustum felixque sit!) inter Caesarem Carolum, Franciscum Gallum<sup>10)</sup> et Henricum Anglum<sup>11)</sup>) Reges, quinto Augusti die denuo proclamatum esse. Id si nescias, cupio te scire; nam spes est, inde Germaniae salutem imminere. Rescribe, si Botzhemum tuum agnoscas, causam silentii erga me tui. Parochus Friburgensis, si alioqui non possis, in singulos fere dies ad me mittere poterit. Bene Vale. Ex Vberlingen, exilii specu,<sup>12)</sup>  
20. Augusti, Anno 1529.

Tibi deditissimus

Ioannes Botzhemus.

Verae Theologiae et bonarum litterarum  
Vindici incomparabili, D. Erasmo Roterdamo, praeceptor et patrono suo, ex  
animo dilectissimo,

Friburgi Brisgoici.

(*Sigillum integrum.*)

10) Franciscum I.  
11) Henricum VIII.

12) Vid. n. 8.

In *tertia epistola, ex Überlingen data d. 13. Aprilis A. 1530.*, (v. Index h. a. n. 9.) dicit auctor de *tibellis ab Erasmo acceptis; de Erasmi fautoribus et inimicis; de Theologis Parisinis, Erasmi aduersariis, item de Hispanis et Germanis, addita consolatione; de Episcopo nouo Constantiensi, Balthasar; de Caesare, et spe in eo posita; de suo proposito visendi Erasmum; de Luscino; de Erasmi in Aula aduersariis; de Eccio, Electore Saxoniae, Landgrauio Hassiae, aliisque Augustam Vindelicorum ad Comitia venientibus; de Michaeli, Concionatorum Augustensium antesignano; de Norimbergensibus et Vilmensibus; de futuris rebus, additis precibus.*

S. Recepi, charissime praceptor, duos a te fasciculos litterarios. Primus habebat responsiones Erasmi ad collationes cuiusdam, iuncta epistola contra quosdam, qui se falso Euangelicos iacent, quam legi diligenter semel atque iterum, quaerens aconitum mixtum, quod a quibusdam tribuitur ei epistolae, facile coniectans, veritatis libertatem illud esse, quod offendit. Secundus habebat enarrationes in psalmum 22. Davidis, diuinas ac plane Erasmicas, quas communicaui cuidam docto et tui studiosissimo, sincerique pectoris in bonas litteras homini. Qui, cum remisisset enarrationes tuas, respondit hac epistola, quam ad te mitto, vt videoas, esse apud nos, qui te venerentur, vt dignus es. Hic flagitat a me epistolam Erasmicam, vt aliqua ex parte mitigetur desiderium illius. Rursum sunt ex his, qui publice pro concionibus auocent studiosos a lectione tralationis tuae in Testamentum Nouum, sumta proxima occasione in solemini Annunciationis Mariae, dum angelica salutatio fuerat enarranda populo. Illic quantum detestatus fuerit<sup>13)</sup> interpretationem eius nominis, Ave gratiosa Dominus tecum, vix credas,

13) Nescio quis.

credas, admonens subinde, cauendum esse a nouis tralationibus, peruertentibus et corruptentibus vniuersam Scripturam Sacram. Scholia Nouiomagi<sup>14)</sup>) in Epistolam tuam non vidi. Liuinus tuus<sup>15)</sup> scripseras tuo nomine, se mittere, quae non misit. Errorem accidisse, coniicio. Misit epistolam tuam sinceram Friburgi excusam, sed absque scholiis, quam antea a te receperam. Proximis tuis scripseras, Theologos Parisinos mitescere; nunc scribis, eos quidam

14) *Gerardus (Geldenhaurius) Noviomagus*, Historicus et Theologus, Nouiomagi in Belgio natus, auctor opusculorum aliquot ad historiam belgicam pertinentium, aliorumque, teste Erasmi epistola 484. T. III. Opp. p. 533. sq., data Louan. A. 1519, erat hoc tempore Episcopi Vlstraetini a sacris. Variae ad illum Erasmi editae sunt epistolae, ut et duae ipsius ad Erasmum; qui tandem p. 1747. ep. 359. duobus Adolescentibus non nominatis d. 31. Jul. A. 1530. scripsit: „Dies aliquot oblequit se (Canius) Argentorati, apud Gerardum Noviomagum, qui mihi ex amicissimo factus est hostis capitalis. Totum Argentoratum et omnes Ecclesiastas concitauit in me. Quintus iam Liber prouolauit in caput meum, etc.“ Posthac Marburgi historiam docuit, et Vitembergam iter faciens d. 10. Ianuarii A. 1542. a latronibus, fisco securi capite, misere periit. Vid. Franc. Sweertii Athenae belg.

15) *Liuinus Algoet*, (Algoet,) Gandanus, ad quem edita legitur Erasmi epistola, T. III. Opp. p. 546. Antwerp. 15. April. A. 1520., fuit

iuuenis honesto loco natus, sed in re tenui, Erasmi famulus, in filii viceem adoptatus. „Apud me, (inquit Erasmus, p. 810. in epistola ad Thomam Card. Eboracensem, Basil. 2. Sept. A. 1524.) „sat feliciter processit in viraque literatura. — Natus est ad liberales disciplinas.“ Et p. 902. ep. ad Petr. Barbirum, Basil. A. 1525. „Sic profecit in viraque lingua, in bonis literis ac disciplinis, ut me praeccurrat.“ Alius *Liuinus*, ad quem supereft Erasmi epistola, T. III Opp. p. 648. ep. 580. ex Andrelaco 21. Jun. A. 1521. data, fuit Abbas Monasterii S. Bauonis, Gantdai. Inter Scriptores belgos retulit Franc. Sweertius *Lacuinium Algoet*, Gandensem Mathematicum, auctorem descriptionis terrarum septentrionalium, Antuerpiae typis Gerardi Iudaei editae; et *Laeuinum Panagarbo*, Gandensem, virum utriusque linguae doctissimum, Orationum ac Poëmatum scriptorem, Vlmae A. 1547. mortuum. Videtur Sweertius ex Erasmi *Liuiino Algoet*, seu *Algoet*, *Panagarbo*, (conf. T. III. Opp. Erasmi,) fecisse binos suos *Laevinos*.

dam contra te emississe. Inuida mens nunquam quiescit. Dulcorationes nascuntur in Hispania, nec dissimilia in Gallia; peiora etiam in Germania. Sed hoc reficit animum meum, cum recordor, virtutem, quanto sit laudabilior, tanto plus a malis impeti, idque certissimum esse verae virtutis indicium, quo magis sit iniquorum calumniis exposita. Solet etiam virtus post multos arietes clarescere potentius ac triumphare. Episcopum nostrum, Balthasarem,<sup>16)</sup> electum et confirmatum exspectamus indies. Caesarem<sup>17)</sup> aiunt esse in Oeniponte, a quo pendemus omnes, exspectantes redemtionem Israel, utinam non frustra! Certo decreui me auultum a pistriño meo, tui visendi gratia, nisi me fallat omnis industria. Luscinium<sup>18)</sup> miror esse talem, quam non putaram. Cupio aliquando scire causas, si quas diuines. In Aula non quiescunt aduersarii tui. Eccius<sup>19)</sup> vocauit omnes Lutheranos in consilium principum Augustam, illic propugnaturus articulos fidei et Ecclesiam catholico-cam.

16) A. 1529. propter reformatiōnem Constantiae vrbis, Hugo I. de Landenberg sponte se abdicauit episcopatu Constantiensi, cui praefuerat per 33. annos. Successit ei Balthasar Mercklinus, sive Merckel, Caroli V. Caesaris Amicus et Legatus, Imperii Procancellarius, Episcopus Melitensis, Episcopus Hildesheimensis Administrator, Canonicus Constantiensis, Episcopus ad annum usque 1531, quo obiit Treuiris aet. 52. Vid. de hoc viro Spicileg. IV. ubi exstat ex autogr. edita eius ad Erasmus epistola a. 1529. scripta.

17) Carolum V.

18) Ottomarum Luscinium, de quo vid. Index Epistolarum ad Erasmus Autogr. A. 1531. n. 5. et plura suo loco.

19) D. Ioannes Eccius, Professor Theol. et Procancellarius Acad. Ingolstadiensis, Canonicus Aichstadiensis, aduersarius Lutheri et Protestantium notissimus, inuitus veritatis testis, nominis Lutheranorum primus auctor et inuentor, natus a. 1486. mortuus a. 1543. de quo vid. in primis Seckendorfii hist. Lutheran.

eam! Dux Saxonie<sup>20)</sup> et Hesorum Princeps<sup>21)</sup> parauerunt sibi hospitia Augustae magno aere, vt audio, adducturi omnes doctos suos.<sup>22)</sup> Antesignanum Concionatorum Augustensium, Michaellem,<sup>23)</sup> dieunt profugisse Tigurum, metuentem aduentum Caesaris. Nuerenbergenses atque Vlmenses, aiunt, iam tandem assen-sisse, ac consignasse decretum imperiale, quod ante menses aliquot Spirae conceptum erat. Huiusmodi multa referuntur apud nos, quae tutumne sit credere, an non, tu scis. Exitus acta probabit. Multi, et Principes, et Ciuitates simulabunt ac dissimulabunt, donec Caesar redeat in Hispaniam, grauioribus post se relicitis periculis, quam ante fuerant. Deus det gratiam et prudentiam Caesari et Principibus, vt omnia circumspete agant, pro gloria diuina et totius reipublicae christianaे salute, Amen. Optime vale, charis-sime preeceptor, quem Christus nobis quam diutissime conseruet in-columnem. Ex Vberlingen, 13. Aprilis, Anno 1530. Cursim, in Apotheca aromataria, propter importunitatem abeuntis.

Toto pectore tuus, Ioannes Botzhemus.

Verae Theologiae ac optimorum studiorum  
Vindici incomparabili, Domino D. Erasmo  
Roterodamo, preeceptori et patrono suo  
modis omnibus obseruando,

Friburgi Brisgoici.

Epi-

20) *Iocannes*, cogn. *Constans*, Dux et Elector Saxonie, Friderici Sapientis frater et a. 1525. successor, pater Ioannis Friderici Magnanimi, Electoris, qui mortuo a. 1532. suc-cessit.

21) *Philippus*, cogn. *Magnanimus*, Landgravius Hassiae.

22) De Comitiis A. 1530. Augu-stae Vindel. celebratis, de Confes-

sione Augustana d. 25. Junii exhibi-ta, de Principibus aliisque, Theolo-gis etiam et doctis aliis, ibi praesen-tibus, etc. vid. in primis Secken-dorfii hist. Luther. et Georg. Coele-stini hist. Comitior. Augustae A. 1530. celebratorum, (Francof. ad Oderam, 1597. fol.)

23) *Michaelm Cellarium*, de quo vid. Seckendorf. hist. Luther.

*Epistola quarta*, data ex *Uerlingen*, 15. Cal. Junii, i. e. die 18. mensis *Maii*, A. 1530, (v. Index h. a. n. II.) continet singularia de Botzhemi cum *Erasmo colloquiis*; de iniqua *Erasmi valetudine et animi moerore*; de *Bonifacio quodam*; de *Caesare in Oeniponte*, et rebus nouis; de *Episcopo nouo, Balthasare*; de *Botzhemi ipsius opinione de futuris*.

S. Nescio profecto, doctissime praceptor, quinam contigerit, vt, eum nunquam ardentius cupierim assatim colloqui tibi, id praeter solitum etiam parcissime, et non, quo solebam, animo libero, et vix mutire, datum sit. Tametsi mala valetudo tua, qua laborabas, potissimum fuerit impedimentum primo colloquio, quod sentiebam esse molestissimum tibi; dederat tamen Deus reualescientiam aliquousque, dum iterum colloqueremur, ita tamen, vt haeret exspectationis soliti et iam assueti doloris propinquus metus, et lassati corpuseuli languor, cui graue videbatur esse omne colloquium, unde factum est, vt omnis loquacitas una cum animi libertate collapsa sit. Volebam agere gratias pro epistolis accuratissimis, in epistolarum opere mihi adscriptis, atque alia pleraque tractare, praeter suaves confabulationes. Haec omnia sustulerat iniqitas malae valetudinis tuae, quae suggererat animum moerore turbatum. Non est itaque, cur suspicaris alia. Id ipsum Bonifacio nostro<sup>24)</sup> contigit, quod priuato colloquio testati sumus inuicem. Caesar<sup>25)</sup> in Oeniponte, slipatus multis Regum et Principum Le-

B 2

gatis,

24) Bonifacio Amerbachio, Ioannis Amerbachii, Typographi cel., filio, Iuris Caesarei Professori Basiliensis, quem a. 1536. Erasmus omnium facultatum suarum haeredem instituit, et qui diem supre-

mam obiit a. 1562. aet. 67. Conf. Spicileg. VIII. p. 13. 14. adnot. 14.

25) Carolus V. in itinere ex Italia, ad Comitiam Augustae Vindelic habenda.

gatis, negotiosus est. Equites Burgundiaci, iniuria quadam intollerabili a plebe Campidonensi affecti, denunciarunt se hostes Campidonae oppidulo, cuius Senatui, quae*sitis* vndeque consiliis a ciuitatibus vicinis, idque frustra, tandem missis legatis ad Caesarem, frigide responsum est, ita ut latentem Caesaris indignationem facile intellexerint. Equites ducenti vicinia occuparunt illic, nec tuta est migratio cuius a Campidona. Quid sibi velit hoc praetulidum, nescio. Nouus confirmatus Episcopus nosler, Balthasar,<sup>26)</sup> nihil scribit ad nos, propter intolerabiles negotiorum processas, quas ait imminere ita, ut aegre spiritum trahat, spem leviter pollicens. Nihil praesagit animus boni, praeter inania quae-dam et fumos triduanos. Christus omnia prosperet in nostram sa-lutem! In praesidio Principum parum spei est. Bene vale, charissime preeceptor. Ex Uberlingen, 15. Cal. Iunii, Anno 1530.

Tuus, quantulus est,

Ioannes Botzheimus.

Doctissimo et Vero Theologo ac  
Oratori disertissimo, D. Erasmo  
Roterodamo, preeceptor obseruando,

Friburgi.

In epistola quinta, data ex Uberlinga, prima Martii A.  
1531. (v. Index h. a. n. 2.) dicit Botzheimus de se ipso, et  
peste, caussa fugae; de libellis duobus, Erasmo ex Augusta,  
et ab eo sibi missis, nec in publicum proferendis, etc. de  
Erasmo,

26) Vid. n. 16.

*Erasmo, utriusque parti suspicio aduersario; de ipsorum Pontificiorum de Erasmo iudiciis; de rariorū litterarū suarū cauiss; de Caesare, etc.*

S. Absui quatuor mensibus ab Vberlinga, nec opinor, ante Aprilem me illuc redditum animo persistendi. Soleo tamen non nunquam, rebus sic poscentibus, eo venire. Pestis vellicans causa fuit fugae, quae tametsi remiserit furorem suum, sunt tamen qui metuunt, Verem nonnihil ejus mali relaturum. Dispiciam itaque mensem hunc proxime venturum. Misisti mihi libellos duos, ex Augusta tibi, ut scribis, missos, quos usque ad cachinnos risi, sed quos non licebat in publicum proferre apud nos. Est tamen unus aut alter, quibus sciebam arrisuros. His clanculo communicaui, non absque gratiis relatis. Quod utriusque parti suspectus es aduersarius, nihil est noui. Imo hos, qui se profitentur a Pontificis et Ecclesiae, hoc est Caesaris, parte flare, frequenter audio Erasmum traducere, idque Theologis auctoribus, qui Proceres nobilium ex magna parte prouocarunt in odium tui, qui soleas alicubi plus satis libero calamo Monachos, atque etiam communem Ecclesiasticorum viuendi modum insectari, quem decuit multo magis omnia nostra, quantumvis abominanda, tueri, si diis placet! Scripsisse aliquoties, si unquam contigisset nuncius; nec putabam te Friburgi perslitisse, in tanto pestis periculo. Nihil est apud nos rerum nouarum, te dignum, quod non putem tibi cognitum antea. Frustra expectamus auxilium Caesaris,abituri ex Germania, si verum est, quod quidam dicunt. Cupio scire, qui valeas, quid agas, quid edas; Botzhemumque constanti animo tuum esse memineris,

neris, admoneo. Bene vale. Ex Vberlinga; prima Martii  
1531.

T. ex animo Ioannes Botzhenius.

Verae Theologiae et Bonarum Litterarum Vindici incomparabili,  
Domino Erasmo Roterodamo, Patrono et Praeceptoris suo, modis  
omnibus Venerando,

Friburgi.

(*Sigillum integrum.*)

In sexta epistola, ex Vberlinga, d. 6. Aprilis A. 1531.  
(v. Index h. a. n. 6.) sermo est de rebus Erasmi domesticis, et  
Botzhemi spe; de Zoilis Erasmi duobus, etc. Additur iu-  
dicium liberum de Comitiis Imperii.

S. Iam tandem proditum esse thesaurum tuum, audio, qui  
sexingentis aureis paratis tibi paraueris aedes proprias, addito et-  
iam non vili sumptu, in exsruendas mansiones nouas, pro tua  
coimmoditate, dato. Congratulor tibi vehementer, quod inde  
spem conceperim, te multis annis nobis superfuturum, tametsi  
Christi de hoc sit curare. Scripseram ante tres fere menses <sup>27)</sup> ad  
te de rebus quibusdam, et Zoilis tuis, Merdardo <sup>28)</sup> et bicorni  
nostro, <sup>29)</sup> per Capellanum, Fabri, <sup>30)</sup> Viennensis Episcopi, nun-  
cium,

27) Periisse videtur haec epistola.

28) Rectius: Medardo, qui fuit  
Monachus Ordinis Minoritarum, seu  
Franciscanorum, Ferdinandi I. Re-  
gis Concionator, Erasmi et Lutheri  
omniumque Euangelicorum adver-  
sarius.

29) Ignoto Erasmi aduersario.

30) De D. Ioanne Fabro, quon-  
dam Officiali Episcopi Basileensis, de-  
inde Vicario Episcopi Constantiensis,  
Ferdinandi I. Regis a Consiliis et  
Confessionibus, tandem Episcopo  
Viennensi, in Austria, vid. Spicileg.  
VI, vbi sex eius ad Erastum episto-  
lae ex autogr. editae legi possunt.

cium, qui verbo renuntiarat, te propediem ad me scripturum de his, quibus scripseram, te esse in opere quodam iis de rebus emitendo. Nihil horum hactenus inuestigare potui. Tu, si voles, fac me certiorem, quid in ea re egeris, et si quid sit aliud, quod mihi communicandum esse putaueris. In Comitiis Imperii haeremus, nimirum (vtinam mentiar!) et re, et spe frustandi. Metum hunc incusserunt crebrae, perperam actae Principum Conventiones, et fatalis quaedam temporum iniuria. Bene vale. Ex Vberlinga, 6. die April. Anno MDXXXI.

Tuissimus, quantulus est,

Ioannes Botzheimus, perpetuo.

Sincerioris Theologiae Optimarumque Litterarum Vindici incomparabili, D. Erasmo Roterodamo, Praeceptoris et Patrono modis omnibus Venerando Charissimoque.

Denique in epistola *septima*, data ex *Vberlinga*, die 20. Nouembris A. 1534, (v. Index h. a. n. 14.) loquitur Botzheimus de litteris *Ingolstadiensis*; de Nicolao *Winmanno*, novo *Erasmi* fauore et amico *lucrificatio*; de nuperis *Erasmi* epistolis; de rebus *nouis*.

S. Clarissime Praeceptor! Quidam incogniti ex Ingolstadio has ad me transmisere litteras tibi remittendas, eo quod me tui amantissimum intellexerunt. Parui lubens. Ex epistola Nicolai *Wynmani*<sup>31)</sup> ad me scripta cognoui, illum non amusum esse, et qui

31) Vid. *Erasmi ad Nicolannum* p. 1748. sq. ep. 361. data Friburgo *Winmannum* epistola, T. III. Opp. Brisgoiae, 16. Aprilis A. 1531. Latèr

qui tui sit studiosissimus. Hoc nomine lucifeci nouum amicuum. Epistolas, quas nuper ad me misisti, non sine voluptate perlegi. Nunc alia plura nugantur, de Ciuitate Rhodiorum per Andream Dorianam occupata, de aduentu Caesaris,<sup>31)</sup> de Rege Francorum,<sup>32)</sup> qui dicitur polliceri auxilium contra Lutheranos Principes et Ciuitates. Dicunt praeterea, Comitem de Nassau<sup>33)</sup> fuisse apud Franciscum Regem Francorum celeberrimo equorum comitatu, qui ab illo optima spe sit dimissus. Vngari confluunt ad Ferdinandum,<sup>34)</sup> offerentes illi totum Regnum suum.<sup>35)</sup> Parantur, ut audio, passim Duces bellorum, et caetera ad eam rem necessaria, et a nostris, et a Sectistis. Christus omnia vertat in salutarem euenum! Excellentia tua curet diligenter valetudinem suam, studiosorum omnium thesaurum incomparabilem. Ex Vberlinga, 20 Novembr. 1534.

Tuus, quantulus est,  
Ioannes Botzhemus.

Clarissimo omnium Theologo et Oratori incomparabili,  
Domino D. Erasmo Roterodamo, Domino et Praeceptoris suo modis omnibus reuerendo, Friburgi.

JACOBI

et adhuc Lipsiae huius Winmanni ad Erasmum epistola, scripta Spirae, 3. Martii A. 1531. Vid. Index Epistolar. ad Erasm. autographar. A. 1531. n. 3.

32) Caroli V.

33) Francisco I.

34) De Guilielmo et Henrico, fratribus, Comitibus de Nassau, Caroli V. Caesaris Amicis et Legatis,

vid. Seckendorfii hist. Lutheranismi, annis et locis variis.

35) Ferdinandum I. Caroli V. Caesaris fratrem, Regem Romanorum, Hungariae ac Bohemiae, Archiducem Austriae, posthac Imperatorem.

36) Bellum erat de Hungariae regno, inter Ferdinandum I. et aemulum eius, Iohannem Scipionem, al. de Zapolia dictum, ab anno 1527. usque ad a. 1535.

JACOBI WIMPHELINGI,  
A. M. Theol. Licentiati, Viri Cel. Epistola  
A. 1520. ad Erasmus data,  
ex Autogr.

De hoc Viro cel., qui varia scripsit, vid. Chytraei Saxon. l. 3. Trithemii epistolae, Casp. Hedionis histor. eccles. l. 13. c. 19. Adami vitae Theologor. etc. et in primis Erasmi epistola ad Ioannem Vlattenum scripta Basil. 24. Ian. 1529. T. III. Opp. p. 114r.

Natus anno 1449. *Sletstadii*, (Selestadii, Schlestadii, vt alii vocant, germ. *Schlettstadt*, vel *Schlettstädt*,) in Alsatia, ex disciplina Ludouici *Dringebergii*, Westphali, scholae Sletstad. Rectoris, Friburgum abiit, inde Basileam, Erfordiam ac Heidelbergam, vbi Artium Magister, postea vero et *Bac-talaureus*, et *Licentiatus Theol.* creatus est. *Spiram* sub annum 1494. accitus, *Ecclesiastae* munus non sine laude aliquot annis gessit. *Heidelbergae* sacros enarravit auctores, nec grauatus est ibi agere paedagogum aliquot magnae spei adolescentum, inter quos Wolfgangus Comes à *Loewenstein*, Iacobus *Sturmius*, Argentinensis, vir postea clarissimus, et ex sorore nepotes, Iacobus *Spiegelius* et Ioannes *Maius*, qui ambo Caroli V. et Ferdinandi I. Imperatorum Consiliarii praecipui fuerunt. A Monachis *Augustinianis* accusatum, Romamque citatum, defenderunt ad *Iulium II. Papam*, et arbitri constituti fuerunt Conradus *Peutingerus* et Iacobus *Spiegelius*, tandemque incendium pressit *Iulii II. auctoritas*. Egit tandem vitam priuatam *Sletstadii*, in aedibus *Magdale-nae*, sororis, vbi obiit A. 1528. d. 17. Nou. aet. 79. honorifice sepultus, cum monumento, a *Beato Rhenano* conscripto.

## XVIII

In Opp. Erasmi T. III. p. 1550 exstat vnica *Wimphelingi* epistola ad Erasmus data ex *Selestadio* 15. Ian. 1516., et p. 827. vnica *Erasmi* ad Wimphelingum, Basil. 25. Nou. 1524.

His nunc tandem additur ex Autogr. breuis *WIMPHELINGI* ad Erasmus epistola, scripta *Sletstadii*, Domin. *Eftomihi*, A. 1520. (v. Index h. a. n. 1.)

S. D. P. Opto Heraſmum<sup>1)</sup> meum fore longaeuum, vt nouos indies foetus pariat, et veteres, vii solet, augeat; quibus incipiam folari in aduersis, quae ab eis, quibus semper bene volui, perperfus sum.<sup>2)</sup> Sed haec est mundi huius remuneratio, cuius pertaesfus sum, sperans, me propediem ex his procellis ad portum quietum, Iesu duce, emersurum.<sup>3)</sup> Tu vale felicissime, vnicum solatium meum. Saepe enim me in Enchiridio tuo<sup>4)</sup> et Compensatio

1) Ita scriptum est Erasmi nomen  
in hac epistola eiusque inscriptione.

2) A Monachis Augustinianis, vt  
docent ea, quae praemissa sunt huic  
epistolae. Addo Erasmi verba, ex  
epist. 1008. ad Io. Vlattenum data  
Basil. 24. Ian. 1529. T. III. Opp. p.  
1140. „Nec inuidia caruit hominis  
„(Wimphelingi) sancta libertas Ro-  
„mam excitus est homo, et senio, et  
„hernia tardus, Monachorum Augu-  
„stinensium opera, quod alicubi  
„scripsisset, Auguſtinum non fuisse  
„Monachum, aut certe non tamē,  
„quales nunc habentur Augustinen-

„ses, quum hi tamen illum in tabu-  
„lis ac libellis exhibeant promissa  
„barba, nigra cuculla et zona coria-  
„cea.“

3) Vixit adhuc octo annos, et  
quod excurrit, mortuus d. 17. Nou.  
A. 1528. Erasmus vero l. c. dicit de  
mortuo Wimphelingo: „Annum at-  
„tigit pene octogesimum, diutius et-  
„iam vieturus, si corpusculi deficien-  
„tis rationem villam habere voluif-  
„set.“

4) Scriperat Erasmus *Enchiridion*  
militis christiani.

dio <sup>5)</sup> iucunditate affici. Ex Schletstadio, Estomihī, <sup>6)</sup> Anno XX.

Tibi deditissimus,

Iacobus Wimpeling,  
Sletstadiensis.

Dn. Desiderio Herafmo Roterodamo, Summo Theologiae  
Christianae Professori, Praeceptor omnium obseruandissimo.

Sed nunc indicenda Vobis est, Ciues Optimi, memoria instauratae Religionis Euangelicae, die LXXI. Mensis Octobris in Aede Academica pie celebranda. Orationem anniuersariam hora XI. inter Sacra Eucharistica habebit Vir Praeclarissimus, *Carolus Guilielmus Gotthold Goebel*, Steinbachio - Misnicus, Artium Magister et ad Aedem Academiam in sacris post meridiem Orator, dicturus de *salute ciuium*, quam debent facrorum emendationi et doctrinae euangelicae instauratae. Ad quam orationem audiendam ut frequentes confluatis, Comites Illustrissimi, Vtriusque Reipublicae Patres ac Proceres Grauissimi, Commitones Generosissimi, Nobilissimi, Carissimi, precesque ad Deum per Christum mittatis supplices pro imperio felicissimo, vita et incolumitate SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS, DOMINI FRIDERICI AVGUSTI, Veri Patris Patriae et Ciuium, pro Coniuge Serenissima, MARIA AMALIA AVGSTA, Deliciis Patriae ac Ciuium, pro vniuersa Domo Electorali Celfissima, pro PRINCIPIS Administris et Amicis sapientissimis, prudentissimis,

5) Sermo est de Erasmi Compens-  
dio theologiae.

6) Dominica Estomihī anni 1520.  
fuit dies 19. mensis Februarii.

XX

mis, Patriae et Ciuium Salutis studiosissimis, pro vniuersa  
*Ecclesia Euangelica, Patria, Academia, Vrbe,* seu potius *Para-*  
*diso terrestri fere instaurato, magnopere hortamur atque*  
*rogamus. P. P. Domin. XXI. post F. Trinit. A. R. S.*  
c*cccxcv.*

---

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAUBARTHIA.